

XIX

AD GLYCERAM

Glyconico-Asclepiadens

Māter saeva Cupīdinum,
Thēbānaeque iubet mē Semelēs puer,
Et lascīva Licentia
Fīnītis animum reddere amōribus.

Ūrit mē Glycerae nitor
Splendentis Pariō marmore pūrius :
Ūrit grāta protervitās,
Et vultus nimium lūbricus aspicī.

In mē tōta ruēns Venus
Cyprum dēseruit ; nec patitur Scythās,
Et versīs animōsum equīs
Parthum dīcere, nec quae nihil attinent.

Hīc vīvum mihi caespitem, hīc
Verbēnās, puerī, pōnite tūraque
Bīmī cum paterā merī :
Mactātā veniet lēnior hostiā.